

1177

1994
A
1386





DISPUTATIO QUARTA
Theorico-Practica,

DE IN IUS VOCAN-

DO, CITATIONE ET LIBELLIS,
Succinctis aliquot Conclusionibus ex Iure civili
veteri & nouo, nec non præcipuis Pragmati-
cis distincta, & ad vsum hodiernum
fori accommodata.

QVAM

Diuinâ fauente Gratiâ.

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.

D. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
D. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In Florentissimo Celeberrimæ Agrippinensis Academia, Iuri-
dica Facultatis Collegio publicè proponit*

MICHAEL FRONHOVIUS Arrenbergensis,
Anno 1629. die 8. Martij.

4.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.



CONTINUATIO.



VM in iudicijs ante omnia de competente Iudice (ne scilicet si incompetens adeatur, tota actio in nihilū recidat, *arg. tot. tit. si non à compet. Iudic.*) indagari soleat, ideoque Iurisdictionis materia prelibata est, Icti vestigijs insisterendo, materiam iudiciorum insuper subnectere, & ab ea Edicti parte, qua Prætor edicit, de IN IUS VOCANDO, seu Ictorum æuum loquitur, CITATIONE, LIBELLO, varijsque requisitis, initium sumere placuit.

CONCLUSIO PRIMA.

In Ius vocare, est iuris experiundi causā, apud Prætorem vel eum, qui Iurisdictioni præest, vocare, *l. 1. ff. de in ius voc. l. 2. ff. si quis in ius voc.* quod iure veteri actionem intentaturo, vel ipsi soli, vel vna cum ipso, viatori vel apparitori, absque magistratus iussu, concedatur *Duar. 1. disp. ann. Diff. Don. in rubr. C. h. t.* vnde consequitur in ius vocationem editione actionis priorem esse per §. *Omniū. Inst. de pæn. temer. litig. Bellon. C. h. t.*

2. Vocatus vocantem protinus sequi, aut eo nomine satis dare necesse habebat, quod si renueret, poterat inuitus & reluctans in ius trahi & duci, idque manu iniecta vi quodammodo adhibita, atque vt loquuntur, collo obtorto, *arg. l. 5. §. 1. ibi non quælibet iniuria est. ff. qui satisfd. cog.* Nec cuiquam licebat eum, qui ita in ius vocatus esset, vi eximere *t. t. ff. Ne quis eum. Vult. 2. Iurisp. 26.* hunc morem propria autoritate reos in ius vocandi aptè expressit. *Terent. Act. 5. Scen. 8.*

Dem. In ius eamus. Phorm. in ius? huc si quid iubet.

Dem. Assequere ac retine dum hic ego seruos euoco.

Chrem. Etenim nequeo solus accurrere huc, &c.

3. Vocantem si reus sequebatur actionem ei edebat, vt secum, an contendere an cedere vellet, deliberaret, *l. 1. ff. de edend.* posteaq; prætor præuia aliquali causæ cognitione, quæ per interrogationes in iure fiebat, *arg. tit. ff. de interrog. in iure fac.* si dandam actionem putaret, iudicem sortitò constituebat, donec is veniret, qui vtriq; litigantium placeret: *Vult. 1. discep. schol. 1.*

A 2

4. Hæc

4. Hæc in Ius vocatio seruata quarundam personarum exemptione, quæ vel lege, vel edicto speciatim prohibebantur, procedebat. *l. 1. ff. h. t. l. 4. eod. l. 2. C. h. t. Dd. in l. Mutus. 43. §. Cum quæreretur. ff. de procurat.* Generatim prohibebantur in ius vocari omnis magistratus imperium & potestatem habens, vt in vrbe Roma Consul, Prætor, Præfectus vrbi. In prouincijs verò Proconsul, Præfectus Prætorio, Legatus Cæsaris, nec non reliqui omnes prouincias regentes. *arg. d. l. 2. l. 48. ff. de iudic. l. 12. ff. Iudic. sol. l. 38. §. fin. ff. ad leg. Iul. de adult. l. 26. §. hæc clausula. ff. ex quib. caus. maior.*

5. His propter summam legum æquitatem non incongruè annumeratur Doctor actu legens, *Schneid. in §. pœnales. n. 48. Inst. de act. lib. 2. c. 80.* Item Doctorandus dum in pompa Doctorali equis hinc inde ducitur. *Zaf. in l. 2. ff. h. t.* Atque is qui vxorem ducit, Aut ea quæ nubit, Iudex dum de re cognoscit, Is qui apud Prætorem causam agit, Denique is qui funus ducit familiare, iustave mortuo facit. *d. l. 2. h. t. l. 3. eod.*

6. Præterea parentem, patronum, patronamue, eorumque parentes vel liberos, *l. 4. §. prætor ait. ff. h. t. l. 2. C. eod.* parentes vtique siue naturales & & legitimi simul *d. l. 4. §. parentem.* siue naturales tantum, *l. 6. hic.* siue adoptiui sint. *l. 8. in princ. h. t.* sine veniæ impetratione vocare non licet, sicut nec ipse communis noster parens Adamus, si adhuc vineret, sine veniæ impetratione in ius vocari posset *Casal. in d. l. 6. h. t. quod de iure veteri in omnibus quibus reuerentia debetur dubium nullum habet.*

7. Sed an hodie idem obtineat quæritur? puto illud non amplius singularis priuilegij loco, sed omnibus commune esse, ita vt sine permisso iudicis in ius vocare non liceat, cessante veteri ratione, iuxta quam illud regulariter sine veniæ etiam vi fieri poterat, consequens igitur est dominum à vasallo, sacerdotem à laico, ab vxore maritum, præceptorem à discipulo, hodie sine veniæ impetratione in ius vocari posse, dummodo verbis reuerentiosis, & coram competente Iudice id fiat: *Schneid. in d. §. pœnales. n. 45. 47. & 49. Inst. de act. Myns. cent. 4. obs. 91.*

8. Quod igitur olim in ius vocare, id vulgò hodie (sublato iam iuris & iudicij discrimine *VVes. parat. hic. num. 13.* nec non solemnitate formularum, certo numero iudicum à *Iustin. in Nouell. 82. cap. 1.* constituto) est citare: Est autem citatio actus, quo quis mandatu Iudicis iuris experiundi causa in iudiciū vocatur, eaquæ realis vel verbalis: *Gail. 1. obs. 48. n. 12. Vult. 2. Iurispr. 28.* illæ per apprehensionem personæ. *c. 6. §. expectantib. de dolo. Nouel. 134. c. 5.* hæc per apparitorem, vel literas aut publica edicta fieri solet. *l. 8. C. quomod. & quand. Iudex. Nouel. 112. c. 3.* aliquando fit etiam citatio per Præconis vocem, tubam aut campanam. *Marant. p. 6. tit. de cit. n. 97.*

9. Realis citatio est, quæ fit manus iniectio, regulariter in criminalibus causis, corporis poenam continentibus; verbalis quæ regulariter fit in ciuilibus, tametsi etiam in criminalibus, sicut realis in ciuilibus vsurpetur; quamuis in ciuilibus rarius, & nõ nisi causâ urgente. *Vult. d. c. 28.* putà si de-

debitor sit de fuga suspectus. *Farin. p. 1. de carcer. q. 26. Fall. vide apud Ianniū in tract. sing. de cit. reali. c. 1.* Hinc quotidiana resultat quæstio, an quis ob debitum ciuile in nundinis publicis apprehendi & incarcerari possit? Neg. nisi vel in illis contraxerit, vel in illo loco se soluturum receperit, *arg. l. 8. ff. de eo quod cert. loc. & l. 41 ff. de V. O. Zobel. 1. diff. 14.*

10. De Iure ciuili realiter citari nequeunt, Mulier *Auth. Sed hodie. C. de off. diu. Iud.* Miles, qui in expeditione est, minor, Clericus, *Gail. 1. obs. 45. n. 16* Doctores legum, Professores academici, vnà cum vxoribus & liberis. *l. 6. C. de Profess. & medic.* Poetas autem, *l. 3. C. eod.* Musicos *l. 4. C. de excus. mun.* quia lex deficit, hac prærogatiua non gaudere veriùs est. *Cuiac. ad l. 6. §. Grammatici. de excus. tut.*

11. In conceptione citationis sex potissimum exprimenda sunt. *Marant. p. 6. n. 63. Gail. 1. obs. 48* quorum primum est nomen & cognomen Iudicis citantis, tum vt citandus sciat, an iudex competens sit nec ne, facit. *l. fin. ff. de iurisd.* tum vt intelligat an iussu Iudicis sit facta. *Spec. tit. de cit. §. 1. n. 8.*

12. Alterum requisitum est, vt contineat nomen & cognomen citandi, etiam cum plures sunt eiusdem litis consortes, sub generali enim consortium nomine citatus comparere non tenetur. *Myns. 2. obser. 66.* Fallit in curia, ciuitate & collegio, quæ sub generali Citatione citari possunt. *Gail. 1. obser. 49. num. 6.* Tertio nomen & cognomen illius, ad cuius instantiam & petitionem decreta est. *arg. c. vlt. de rescript. Vant. de nullit. ex defect. Citat. num. 49. & c. vide Vult. 2. Iurisp. 2.*

13. Ex quibus vnã alteramve quæstionem promanantem scrutari placet, An ad certam causam citatus cogi possit, vt respondeat ad aliam, quã citatus non est, Neg. *Innoc. in c. licet. n. 2. de offic. deleg. Bald. in l. si accusatoribus. num. 13. C. de acusat.* sed Iudicem hac responsione repellere potest, *Herr Richter/ hierumb ist mir nicht vorbescheiden/ Diff. Gail. 1. obs. 51.* Item, An Citatio ad diem feriatam facta valeat? Neg. *per text. in l. 2. ibi quia feriatus dies est. vbi Ias. num. 14. ff. Si quis in ius voc.* Aliter Canonistæ qui valere putant, sed sequenti, non feriatam die procedendum esse. *Felin. in c. quoad cõsultationem. num. 3. & 4. de re iudic.* Rectius faciunt iudices qui clausulam hanc adiungunt, *daß ihr auff den N. tag/ oder wo selbiger kein Gerichtstag were / den nechsten Gerichtstag hernach erscheinet/ Gail. 1. obs. 53. n. 2.*

14. Hic quoque non inconuenienter quæritur, an libelli tenor ab ordinario iudice citationi sit inferendus? Neg. *per l. 33. ff. de iudic. l. 2. C. de exhib. reis. Diff. Franc. Tig. quem refert Alexander in rubric. C. de edend. n. 2.* Delegatus vero tenorem Iurisdictionis suæ citationi inferere. *Gail. 1. obs. 48. n. 17.* originale vero ipsum nisi reus comparens id postulauerit, exhibere non tenetur. *Myns. cent. 3. obs. 1.*

15. Altera pars Citationis quæ in expeditione eius est posita, capita habet tria, de quibus. *Myns. cent. 1. obs. 77. & cent. 6. obs. 10.* commissionem scilicet siue præceptionem Iudicis, *l. vlt. vbi DD. C. de exhib. reis.* hæc commif-

fio, tam in verbali quam reali *Marant. d. t. n. 51.* cum facti sit, non præsumitur. *Bart. in l. 1. § 1. n. 2. ff. de offic. pref. urb.*

16. Deinde executionem seu intimationem, *Felin. in c. gratum. 20. num. 5 in fin. de offic. deleg.* Eiusdemque executionis relationem: *Schurff. conf. 38. num. 3. cent. 1. & conf. 79. n. 5. cent. 3.* Enim vero hæc nisi ex actis appareat, citationem mutilam & inualidam pronuncio. *VVes. parat. hic. n. 13. Marant. d. p. de citat. n. 54. & seq. Gail. 1. obs. 54. n. 7.*

17. Vtrum verò publico nuncio in suis relationibus, alijsque ad eius officium spectantibus sit habenda fides necne? In quo contrarijs opinionibus nihil obstantibus, affirmatiuam sententiam, utpotè iure & rationibus magis consonam, amplectimur. *Menoeh. 2. A. I. Cas. 112. Gail. 1. obs. 54. nu. 4. Soar. in thes. recep. sent. verb. Nunc. n. 67.*

18. Cum Iudex non nisi imploratus officium suum impertire debeat. *l. 4. §. 8. ff. de dam. inf.* Imò fatuus dicatur, si extra petita illud extendat, citationem ad petitionem partis decernere debet. *Marant. d. loc. num. 3. & 4.* Fallit tamen primò in causis publicis. *c. Qualiter. extr. de accus.* Secundò, in delictis grauioribus, *VVesemb. conf. 43. num. 169. lib. 1.* Tertiò, in suspecto de crimine fractæ pacis, *Ord. Cam. p. 2. tit. 10. §. Es sollen vnd wollen auch* etc. in his proprio motu Iudex citationem decernere potest.

19. Porro citandi omnes quorum principaliter interest, quorumque causa agitur, *l. 47. ff. de re iud. VVes. parat. hic. num. 13.* An autem is qui in iudicio præsens, adhuc citandus erit? Dist. ut comparere quidem etiam non citatus, sed actionem propositam suscipere non teneatur, *Castr. Fulg. in l. 1. hic.* Idque etiam de Iure ciuili veriùs puto: *per l. 29. §. fin. ff. de minor. vide Myns. cent. 6. obs. 6. n. 3.* Indistinctè negant *Dd. à rason. in l. 1. hic relati.* Casus in quibus Citatio non requiratur, vide apud eundem *cent. 2. obs. 9.* An Iudex citationem omittere possit, si eius arbitrio causa definienda commissa sit. vide *Menoeh. A. I. quest. 17.*

20. Citationem in omnibus causis cognitionem vel altiorem indaginem requirentibus, in tantum necessariam asserimus, ut ne quidem Princeps illam, ex plenitudine potestatis suæ omittere possit, tum quia Iuris naturalis. *Clem. Pastoralis. de sent. & re iudic.* tum quia Iuris diuini. *arg. primorum parentum à Deo in paradiso post lapsum citatorum. Genes. 1. c. 3. Diff. Vult. 2. Iurispr. 28. num. 15.* Fallit primò in notorijs, vbi ea omitti potest, *c. 21. de Iureiur. c. 8. de cohab. cleric.* Secundò, si periculum sit in mora, *Marant. cit. loc. n. 15.* Tertiò, in causis summarijs, *Zang. tract. de except. c. 2. n. 3.* Denique in extraiudicialibus, *Schrad. tract. feud. p. 10. Sect. 9. n. 198.* vide *Vult. cit. loc. n. 16.*

21. Citatio legitimè facta varios parit effectus, litis etenim pendentiam inducit, *clem. vnic. vt lit. pend. nihil innou. Ias. ad l. Cum quedam. num. 16. de Iurisdict. omn. iud.* Perpetuat Iurisdictionem delegati. *Myns. cent. 4. obs. 26. Alciat. in c. Gratum. de offic. deleg.* interrumpit non modo longi temporis

ris

ris præscriptionem *l. Nemo. C. de acquir. poss. l. 2. l. fin. C. de annal. except. Diff. Gail. 1. obs. 74. n. 20.* sed etiam vsucapionem. *l. vnic. C. de vsuc. transf. Afflict. decis. 3. num. 14. c. proposuisti de foro compet.*

22. Hisce præuijs, difficilem & quotidianam libellorum materiam perstringemus: Libelli vox æquiuoca & varia, nunc pro tractatu in sacras literas accipitur. *c. de libellis. dist. 20. c. 2.* aliquando pro tabula fideicommissaria, in qua testator fideicommissum scribit. *l. 1. in pr. ff. de tab. exhib.* aliquando pro libello supplici, qui Principi vel Magistratui offertur *l. 15. ff. de in ius voc.* aliquando orationem consultatoriam, qua Imperator res arduas senatui consultandas proponit, significat, *l. 20. §. 6. ff. de pet. hered.* Denique scriptum Iudici exhibitum, actoris intentionem continens. *Treut. p. 1. disp. 4. thes. 10.* de quo nos hic.

23. Libellum aptè à libro quidam deriuant, sicut enim liber prolixum, ita libellus breue, pro re tamen nata, scriptum continet, *Spec. de lib. concept. §. libellus est: Festiua, Scaccia* est notatio, libellum à libra nominari dicentis, ex eo quod ius dicens stateram in manibus gestare debeat. *Hillig. in Donell. Enucl. 23. com. 4. lit. B. vide pulcherrimè Disp. Basil. Vol. 5. disp. 2. thes. 3.*

24. Variè à varijs definitur libellus; Nobis illa *Obrecht. de forma lib. c. 2. num. 1.* definitio placet, quod sit verborum conceptio breuis & perspicua, litis futuræ speciem in iudicio proponens, *arg. l. 3. C. de edend.* Aliter *Spec. cit. loc. §. libellus est.* Aliter *Lancelot. in Inst. Iur. Canon. tit. de lib. conc.* Conceptio autem illa regulariter in scriptis est exhibenda, tam in iudicijs ciuilibus, quam criminalibus, *l. 31. C. de Episc. aud. Ayrer. c. 1. in proeess. Iur. c. 4. obs. 6. num. 13.*

25. Idque adeo verum aiunt Dd. vt non sufficere putent, de rigore Iuris, si actor in iudicio Notario, siue Scribæ publico, causam & petitionem suam dictet, eamque actis inscribere curet, quo libellus in scriptis oblatus censeatur, sed extra ordinem videri hoc modo procedere: *Br. in l. 2. C. de proxim. sac. scrin.* Verba autem in libello propria, vsitata, & rei applicata adhibenda sunt, ne abstrusis, obsoletis, vel etiam planè ignotis vocabulis, quibus quidam ingenia ostentantes, stultitiam produnt, res obscuretur. *Basiliens. citat. loc. thes. 4.*

26. Ratione modi concipiendi libelli, alius articulatus, alius simplex, ille qui certis ac distinctis enunciatis, factum cum suis circumstantijs, singulatim & per articulos describit, *Obrecht. de form. lib. c. 7. 8. per tot.* hic, qui vno prorsus orationis contextu factum, iudici ex scripto proponit *Obrecht. de form. lib. §. proinde:* huius in Camera Imperiali exiguus modo vsus. *Schvvan. lib. 1. proc. Cam. c. 41. n. 10.*

27. Requiritur regulariter libellus in omnibus causis tam ciuilibus quam criminalibus, *Auth. Offeratur. C. de lit. cont. Ferrar. in form. lib. in act. reali. n. 12. & 21.* Tam in actionibus realibus quam personalibus. *l. 6. ff. de R. V.* Tam in iudicio possessorio quam petitorio. *Cothman. vol. 1. resp. Iur. 17.*

n. 23. siue coram iudice ordinario, siue delegato agatur. *Sich. in d. Auth. Of-
feratur. num. 6. Ferr. d. loc. num. 9.*

28. Dixi regulariter; In quibusdam etenim causis regularitas illa non attenditur, uti in causis appellationum, quando in prima instantia libellus oblatus est, & ex iisdem actis proceditur. *Scacc. de appellat. q. 11. artic. 4. num. 35.* In Camera si ab interlocutoria simplici appellatum sit libello opus non est; si à definitiua liberum est actori libellum exhibere, vel eius loco acta prioris Instantiæ repetere *Schvvan. lib. 2. proc. Cam. c. 7. num. 8.* Item in causis summarijs, *Marant. in spec. p. 4. dist. 9. n. 1. & 12.* Tertio, in causis modicis & vilium personarum, *Auth. Nisi breues. C. de sent. ex peric. recit. Nou. 17. c. 3.* Quarto, in Notorijs, cum in illis nec ordo Iuris seruandus, nec accusatoris clamor expectandus sit. *c. manifesta cum 2. seqq. 2. q. 1.* Quinto, in causis matrimonialibus libellus non est necessarius. *Beust. de iure connub. p. 1. c. 22.* plures fallentias vide apud. *Specul. de lib. conc. §. Nunc dicendum per tot. & Basiliens. d. loc. th. 11.*

29. Partes libelli præcipuæ & necessariae tres sunt, quas eleganter *Hostiens. ad spec. de lib. concept. §. Quid libellus hoc disticho comprehendit:*

Quis, quid, coram quo, quo iure petatur, & à quo
Rectè compositus quisque libellus habet

Aliter Gloss. in c. 1. verb. libellum. extr. de lib. obl.

Conuenti nomen, nomen quoque conuenientis,
Iudicis & nomen scriberet, causamque petendi
Et quascunque petit res istas scribere debet.

30. Partes hæ sunt (quarum plures alij faciunt, sed res in effectu in idem recidit) Exordium, Narratio, Petitio siue Conclusio *Basil. cit. loc. thes. 14.* Exordium primò nomen Iudicis continere debet, non tamen proprium, sed nomen officij, dignitatis, vel iurisdictionis poni sufficit, prout in *Cam. Imp.* nomen Iudicis pro dignitate Ecclesiastica principali, exprimitur hoc vel simili modo, *Hochwürdigster Fürst/Römischer Kays. Kayst. Cammerriechter Gnediger Herr/ &c.* Secundò, nomen Actoris, si per procuratorem agat, si verò ipse pro se agat omitti potest. *Treit. hic. thes. 10.* Nihil verò interest in prima vel tertia persona exprimat. *Obrecht. de form. c. 11. n. 14. 15.* Tertio, nomen Rei. *arg. l. 47. ff. de re iud.*

31. Quare si contra plures, ut singulares ex communi obligatione agatur, singuli suis nominibus designandi veniunt, nec sub appellatione consortium comprehenduntur, *arg. l. 3. §. 2. ff. de appellat.* vnde si libellans ita exordiat: *Vor euch Herren Richter erscheinet Titius Eleger eins/ Contra Seium vnd Consorten anderen theils/ &c.* non subsistit, si tamen semel suis nominibus in libello nominati sint, in processu illos deinceps appellatione consortium nuncupare licet, *Basiliens. sæpè cit. loc. thes. 14. col. 2.*

32. Narratio, expositionem causæ & negocij comprehendit. *Vult. 2. Iurispr. 29. n. 6.* Causam in actione personali remotam, in reali proximam ex-
prime-

primere sat est, *Don. in l. 3. n. 5. C. hic. Socin. de lib. obl. c. 2. n. 48. Diff. Obrecht. de form. lib. thes. 157.* Causa petendi est medium concludendi quod bis conclusioni præmittitur, nec eam, perinde ac in syllogismo, ingreditur, hinc libellum in modum syllogismi vel enthymematis concipi dicunt. *VVes. in parat. ff. de edend. n. 3.*

33. Conclusio est potissima libelli pars ac fundamentum, in quo tanquam in cardine tota libelli vis versatur, *Zaf. princ. Inst. de act. num. 21. Gail. 1. obser. 61. num. 13. adde Lanfranc. in c. quoniam contra. 5. tit. de pet. it. num. 6.* Unde *DD.* dicunt, Conclusio verba libelli generalia restringit & interpretatur, actionem regulat, ampliatur, determinat, Verba itidem dubia ad eam ceu lydium lapidem redduntur, probantur, *Hillig. in Don. enucl. 23. com. 4. lit. D.* In criminalibus non est necessaria, *Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. fin. quest. 12. num. 21. & q. 31. num. 13. Schneidvv. §. 1. Inst. de act. n. 119.* In illis enim sola narratio facti cum additione temporis commissi criminis, non etiam diei, nisi reus petat, libellus concipitur, *Gail. 1. obs. 64. n. 9. & II.*

34. Porro ad formam libelli pertinet ut sit aptus, clarus, certus, non obscurus, non generalis vel alternatiuus, *Spec. d. lib. conc. §. vlt. potest.* itaque & debet iudex libellum planè & manifestè ineptum ex officio rejicere & dentibus conserpere, *Felin. c. dilecti. pr. extr. de Iudic.* quia sententia super inepto libello lata est ipso iure nulla, *cum dilecti. extr. de empt. vendit.* An autem in totum vitiabitur, si pro parte aptus? *Neg. per c. vtile. de R. I. in. 6.*

35. An etiam Iudex Libellum obscurum ex officio rejicere teneatur questionis est? eò quod obscuritas non sit amica legibus. *Novel. 107. c. 1. & ne per eam capiantur alij, c. erit autem. dist. 4.* *Neg.* nisi pars contradicat. *Gail. 1. obs. 62. num. 11. Ayer. process. iur. c. 4. obs. 6. n. 2. 21.*

36. Pari ratione libellum generalem in civilibus ex officio iudex rejicere, parte nihil opponente, non tenetur. *Alex. in l. 1. n. 3. ff. de edend. secus in criminalibus. Crauet. p. 3. cons. 415. nu. 4. & 5. fac. l. 3. pr. & §. 1. ff. de accusat.* Generalis admittitur in petenda dote. *Cost. in l. 1. ff. h. t. hæreditatis petitione. l. 4. l. 43 ff. de pet. hered. Gail. 1. obs. 68.* Itè in causa spoliij. *Mud. in §. Curare. Inst. de act. n. 20. limit. 5. facit l. 9. vnde vi.*

37. Quid denique de alternatiuo libello? (alternatiua namque locutio incertitudinem & obscuritatem parit, *l. 75. §. 8. ff. de V. O.* illum in actione hypothecaria v. g. Peto reum condemnari ad traditionem rei obligatæ vel solutionem debiti *arg. l. 16. §. 3. ff. de pign. Gail. 1. obs. 62. n. 8. & 9.* In actione empti, ut peto rei venditæ traditionem vel interesse, *facit l. 11. §. 9. ff. de act. empt. l. 4. C. eod. VVurmbf. tit. 9. pract. obs. 1.* Denique in materia legis secundæ. *C. de rescind. vendit.* admittimus.

38. Insuper solent libello clausulæ quædam salutares vel saluantes, quas herbae betonicæ assimilare solent *DD.* quarum aliæ post exordium, aliæ post facti narrationem, aliæ post conclusionem apponi solent, *Althus. Iurisp. 2. c. 24.* inter alias post exordium quoque illa adijci solet: Non astringen-

gen

gens se superfluae probationi, quam cum primis utilem dicit *Ferrar. in form. lib. act. real. verb. Non astringens*: Clausulam hanc: Se amicè reum de solutione compellasse, &c. post facti narrationem adijci solitam magis urbanitatis quam necessitatis esse de iure ciuili defendi potest. *facit l. 12. C. de contrah. stip.*

39. Post conclusionem, frequentius præ cæteris hæ apponuntur: Peto reum condemnari, & legitimis remedijs compelli, &c. quam necessariam non putarim, facit quod petitio condemnationis executionem quoq; contineat, aliàs enim vt vana sine viribus ira, ita inanis absque executione foret condemnatio. *Ias. in §. Inst. de act. num. 139. Diss. Bart. in l. 1. C. de execut. rei iud.*

40. Sicut nec illam: Peto mihi rem restitui, cum omnibus pertinentijs, fructibus, &c. quandoquidem omnis actoris utilitas verbo restituendi continetur. *l. 81. ff. de V. S. adde l. 38. §. 4. ff. de vsur. l. 22. 35. 75. ff. de V. S.* Neque hanc: saluo iure addendi, minuendi &c. libello necessariò inferendam asserimus, cum tempus à iure determinatum sit, intra quod libellus emendari, minui, aut mutari possit, *c. libellorum 2. q. 8. Felin. in c. significationibus. n. 26. de lib. oblat.*

41. Coronidis loco quæri potest, quando igitur libellum emendare vel mutare liceat? id dissentientibus quamuis plerisque Dd. vsque ad sententiam definitiuam in eodem iudicio licere verius existimo. *arg. §. 34. Inst. de act. vbi V. V. S. Don. Mud.* Dico in eodem iudicio, faciendo differentiam inter Ius vetus siue constitutionem Zenonianam, & Ius nouum siue Iustinianæum, *arg. §. pen. Inst. de except.*

C O R O L L A R I A.


I. An monitio seu citatio à Iudice pro tribunali sedente facta vim peremptorij vel trinx citationis habeat? Affirm. *Bald. in l. Cessante. C. quomod. & quand. Iud.*

II. An citatio mariti per nuncium facta vxori vel domesticis valeat? Neg. Neque hoc casu contra eum emanentem in contumaciam procedi posse aio. *Myns. 3. obs. 37.*

III. An citatus ad locum pestilentem non comparens excusetur à contumacia & vtrum teneatur mittere procuratorem? prius affirmo, posterius nego. *Franc. de sancto Nazario tract. sing. de pest. §. Condescendo. n. 1. 2. & 3.*

IV. Quid si aliquis offerat se ire & pro ipso citato respondere an adhuc excusabitur? Affirm. *Franc. de S. Naz. d. tract. n. 4.*

F I N I S.





X 2874408

94 A 7386

VD 17







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

4

GRIPPINÆ,
ch, prope Augustinianos.

GRIPPINENSIS ACADEMIA, IURIS
PUBLICÈ PROPO-
NIT

VIVS ARREBERGENSIS,
DIE 8. MARTII.

ATOR & FISCO.
S, SS. LL. LICENTIATO,
NNO, I. V. DOCTORE, &
TISSIMIS VIRIS, AC DD.

ANTE GRATIÀ.

AM

USUM HODIERNUM
ON PRÆCIPUIS PRAGMATI-
LUSIONIBUS EX IURE CIVILI

S VOCAN.

-Practica,
O QVARTA